



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

Q[uo]d p[ro]pter ca[usa]m ista[m] Sancta trinitas Cyru[m] rege[m]  
persaru[m] ex nomine uocauit & assimilauit, & in corde cætero[rum]  
regu[m] Persa[rum] siue Mædo[rum] tanta[m] b[ene]uolentia[m] ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)



Iesu Christo. Et uos (inquit) cum mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit deus cum Christo, dormans uobis omnia delicta, delens quod aduersum uos erat chyrographū decreti, quod erat contrarium uobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & potestates transduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso. ¶ Ergo in rege Assuero deus pater, in Mardocheo autē deus dei filius mirabiliter assimilatus est. Porro in Hester gratiam spiritus sancti siue spiritum consilij, pro tanto negotio, assimilatum fuisse, quis dubitet? Illa nanq; mirabili usa consilio hoc effecit, ut regis animus ad gratiam & misericordiam suam proscriptæ genti inclinaretur, & ille Amani superbissimus, in quo diabolus homicida ab initio figurabatur, non ubi uis, sed in cōuiuio super mensam, crapulatus & ebrius caperetur, & sententia mortis strangularetur, in eodē ipso (quod Mardocheo parauerat) patibulo appensus: nimirum secundū illius dicti mysterium quod de diabolo ad beatū Iob dixerat dominus. An extrahere poteris Leuiathan hamo & fune ligabis linguam eius? Quasi enī captus hamo & iste fuit qui de reginæ conuiuio magnifice gloriatus, ita ut diceret amicis suis, & lares uxori suæ, reginæ quoq; Hester nullū alium uocauit cū rege ad conuiuium præter me, apud quam etiam eras cum rege pransurus sum, ita prandit, ita pastillos conuiuij momordit, ut post molles edulij saporos, ferream protinus sententiam mortis exciperet.

¶ Quod propter causam istam sancta trinitas Cyrum regem Persarum ex nomine uocauit & assimilauit, & in corde ceterorum regum Persarum siue Mæcedorum tantam beniuolentiam dedit, & quod dominus noster Iesus Christus propter quem nascitur illa facta sunt, primus inuenitur in scripturis. Cap. X.

**P**ropter quid sancta trinitas taliter & Cyrum ex nomine uocauit & assimilauit, & in corde ceterorum regum Persarum siue Mæcedorum tantam beniuolentiam dedit? Propter Iacob (ait) seruum meum, & Irahel electum meū. Quem propter Iacob: siue quem propter Irahel? Deniq; parū est, si illum respicias Iacob siue Irahel, de quo scimus & legimus. Isaac autem genuit Iacob, siue illam quantalamecumq; multitudinem reliquiarum, quæ reseruate sunt illius populi, qui passim in scripturis nomine paterno uocatur Iacob siue Irahel. Et quidem nihil altius Cyrus intellexit, nihil supra quesuit, & hoc sufficit ad captandam eius beniuolentiam populo illi, quod deus eorum ante tot annos per prophetam suum, de ipso uidelicet Cyro, tam magna prædixit, tam gloriosa præscripsit, & ea semetipsum illi facturum promisit. Veruntamen unus est uerus Iacob seruus domini, unus & uerus est Irahel electus dei, dominus Iesus Christus: propter quem tanta fuit cura summæ trinitati, quanta intelligimus aut intelligere cupimus in auxilio eius, sub sacramento numeri ternarij, Vnde iam dictum & adhuc dicendū est. ¶ Dum hic attendimus, dulciter illud memoriæ nostræ occurrit, quia iste seruus domini primus est, qui deo gratias egit, ante quē nō facile quempiam inuenies, siue in lege, siue in prophetis, de quo manifeste scriptum sit, quod deo gratias egerit. Nondum quippe impleta fuerant beneficia dei, quorum omnium hoc summum est, quod istum seruum suū fecit, Christum Iesum secundum formam serui, pro quo facto nimirum gratiarum actio debetur illi. Deniq; quicumque deo gratias agit, causam istam in ipsa gratiarum actione non habens præ oculis, quia deus istum seruum suū fecit, & ut faceret tanta procurauit, inter quæ gentiliū quoque regum animos ad beniuolentiam sui nominis inclinauit: nondum intellexit, quomodo, uel propter quid gratiæ agendæ sint, diximus, quia primus iste deo gratias egit, etenim ante hunc nusquam in scripturis audita fuisse recolimus uocem gratiarum actionis, cum tot audias maxime in Psalmis uoces exultationis & confessionis, uoces benedictionis & laudationis, uoces adorationis, cantationis, iubilationis. Vox autem gratiarum actionis, ubi quæso prius audita est uel audiri debuit, quàm ex ore huius serui domini, huius electi dei?

¶ Gratiarum actio quid sit & quando, quomodo, & ubi dominus noster Iesus Christus gratias egerit. Cap. XI.

1 2

¶ Primus

Colof. 2

Assimilatio trinitatis.

Iob. 40. Hester. 1.

Prop̄ Ch̄m illa omnia gesta sunt. Eia. 45. 1

Gene. 27. Marth. 1.

Eia. 45.

Ch̄s primus & q̄gr̄as in scripturis legitur egisse deo.